



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Laudati, amati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS XI. LIBERTAS.

§. I.

Symbola.

VAccam triennem. Gen. 15. 9. Vacca hæc triennis indomita significat primam generationem Hebræorum, eorumque libertatem in Ægypto tempore Joseph: tunc enim liberè, & lautè, instar iuvenca pascebantur opibus Ægypti. Corn. hic.

Nudis pedibus &c. 2. Reg. 15. 30. Hebræi nudò capite incedebant, quasi liberi, & expediti. Id. hic.

Cor sapientis in dextera ejus. Ecclæ. 10. 2. Dextera Symbolum est libertatis; sinistra servitutis. Id. hic.

Antiquitas vini inventorem vocavit Liberum; & vinum Libertatis solum esse voluerunt ab effectu: quia curis solvit, mœrore liberat. Nadasi dier. memor.

Eduxi eos in desertum. Ezech. 20. 16. Desertum signum est libertatis; uti urbs, &

arx, subjectionis, & servitutis. Ità Prado, Maldonatus.

Dare annulum in manum ejus. Luc. 15. 22. Annulus signum libertatis. S. Chrysol. 1. 7. posuit annulum in manu ejus, annulum honoris, titulum libertatis.

§. II.

Miscellanea.

Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis. S. Hier. ep. 14.

Ego malim cum libertate panem sumere, quàm cum servitute mille pericula. S. Chrysol. hom. 1. in ep. ad Coloss. c. 1.

Omniò, si Christo crucifixus es cruce, sapiens es, justus es, liber es. Guarricus 1. 2. in Ramis.

Franci à vindicanda libertate nomen adepti. Franci quippe Belgis, Francisque, libertatem sonat.

TITULUS XII. LIBRI.

§. I.

Laudati, amati.

Veniens affer tecum & libros. 2. Tim. 4. 13. Mirum, cur Paulus divinitus certior factus de proxima sua morte: tempus resolutionis meæ instat, tamen Timotheum jubeat afferre libros. Quid proderunt libri mortuuro? Hugo Card. hic: ut essent ei solatio in tribulatione; & alijs daret exemplum studendi.

S. Hieron. ep. 141. ad Marcellum, laudans B. Pamphyl M. in condenda Bibliotheca studium, libros appellat, imagines ingeniorum, vera, & æterna monumenta.

Filij quidem corporum, animæ vero liberi sunt scripta. Clemens Alex. 1. 1. Strom.

Pium 2. P. M. libros plus quàm saphiros, & smaragdos, curare solitum, scribit Platina.

Pius V. P. M. dum apud eum quisquam gemmas magni pretij supra modum extolleret; manu in libros extensâ dicebat: en in his veræ gemmæ.

D. Petrus Damiani 1. 2. ep. 6. de surrepto sibi quodam libro sic queritur: tulit librum meum; quem velut unicum filium meum ulnis uterinæ dulcedinis amplectebat.

Alphonfus rex librum apertum pro insigni gestabat.

Polyanth. Sacr. Tom. 1.

Panormitanus l. 4. c. 34. refert, Alphonsum cubasse libris in sponda positus; solitumque dicere: se malle uniones, & margaritas suas, perdere, quàm qualemcunq; librum. In urbium direptione quicunq; ex militibus librum offendisset, confestim, certatimque, ad regem perferebat: siquidem fama vulgaverat, eum libris quàm maxime delectari solitum. Diem illam, in qua nihil legeret, se perdidisse dicebat.

Vos, ni fallor, estis, qui in hortis habitatis: qui scilicet in lege Domini meditamini die, ac nocte; & quot libros legitis, tot hortos perambulatis; quot sententias eligitis, tot poma carpitis. Guarricus 1. de Sanct. Scripturar. utilitate.

§. II.

Libri mali.

Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt. Act. 19. 19. Syrus: *multi ex magis.* Budæus l. 5. de asse &c. putat hoc pretium fuisse, quinque millium aureorum. Tradiderunt hi Fideles libros malos igni; ut ita ipsi ab æterno incendio liberarentur. Christiani Cæsares fanxerunt, hæreticorum libros comburendos. Sylveira hic.

Multò cautius necesse est acutis rosa in spinis, quàm mollibus lilium colligatur in folijs; multò securius in Apostolicis, quàm in Platonis, quæ-

PPP PP ritu